


EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

25, 31



DIALECTICORVM OMNIVM
PRINCIPIS
ARISTOTELIS
CATEGORIAE,

SEVERINO BOETHIO IN-
TERPRETE.

ADDITA ILLIS EST PRÆFATIO,
in qua non modo huius partis mate-
ria, sed totius etiam Dialectices
progressus & natura si-
gnificatur,

Autore
SIMONE SIMONIO
Doct. Med. & Philosophiæ,
eiusdemq; in Academia
Lipsensi Pro-
fessore.

L I P S I Æ

A N N O

M. D. L X I X.

MAGNIFICO ET
ORNATISSIMO VI-
RO, DOMINO HIERONY-
MO RAUSCHERO, CONSVLI
dignissimo Lipsiensi:

SIMONIUS S. D.



*V*IRTUS omnis conciliat sibi hominum benevolentiam; per se namque nobis placet, animosq; nostros, naturâ & specie sua ita commouet, atq; ad se allicit, ut ijs in quibus esse uideatur, amicos nos faciat, uel potius amici à natura ipsa esse cogamur. Est præterea in animis nostris insitum & innatum, ut quicquid ob aliquam præstantiam eminet, uel aliquo excellit bono, quamuis nullus inde in nos fructus profiscatur, ad id omne honorandum

) (2

adduca-

E P I S T O L A

adducamur. Platoni id quidem cer-
 tē placuit, atq; Aristoteli: Et nos
 possumus exemplo probare: Nam
 artifices egregios, ut pictores, ac
 statuarios, licet nobis fructuosos fo-
 re non speremus, honoramus tamen
 & colimus. Quod si, ad alicuius ho-
 minis præstantiam, eminentiamque
 beneficentiæ accedat opinio, iam
 quasi numen quoddam illum colimus.
 At quid virtute moris præstantius?
 quid item humanæ Reipublicæ uti-
 lius? Cuncta præter eam bona, per-
 inde fiunt, ut illius est animus qui ea
 possidet; at hæc, nunquam non spe-
 ctat humanæ societatis salutem, in-
 columitatemq;. Præfari hæc pauca
 libuit, Magnifice atq; Ornatissime
 vir, ut intelligere iam omnes pos-
 sent, cur ab eo tempore, quo de Pru-
 dentia,

DEDICATORIA.

dentia, virtutibus, ac reliquis animi
tui bonis, quibus & in publicis, &
in priuatis negocijs, excellentem ti-
bi famam quandam, ac laudem com-
paras, tot ac tanta, à tam multis do-
ctis ac probis viris prædicari audi-
ui, amauerim te semper, & colue-
rim, nunc uero mei in te animi amo-
rem & cultum, hoc quantulocunque
munusculo palam testari uoluerim.

Accipe igitur hanc tuo nomini di-
catam præfationem (reliqua enim
nostra non sunt) in Categorias Ari-
stotelis, quas iuuante Deo in hac ce-
leberrima Academia explicaturi
sumus. Quid & quantum in ea con-
tineatur, ij, quod scio, non intelli-
gent, qui leuiter & parcè, rudi ui-
delicet tantùm quadam rerum con-
templatione contenti, Philosophiam

X 3

tracta-

EPIST. DEDICAT.

tractare solent. Ad eos igitur pro-
uoco, qui maiori quodam Philosof-
phandi studio concitati, & in Pla-
tonis, cæterorumq; celebriorum Phi-
losophantium, cum Græcorum, tum
Arabum, ac Latinorū lectione uer-
sati, in rerum naturam intimius pe-
netrare student. Tu uerò Magnifice
atq; Humanissime Vir, muneris te-
nuitate, ne offendaris quæso, sed mei
hanc erga te animi significationem
potius, æqui boniq; consulens, uicif-
sim me ames, & si dignum iudicas,
in numerum tuorum Clientum re-
cipere digneris. Vale diu &
feliciter, Lipsiæ
Anno 1569.

PRAEFATIO IN CATE-
gorias Aristotelis.

Autore SIMONE SIMO-
NIO, Doct. Med. & Phil.



Materiam suam ac
subiectum vult ha-
bere Logicus^a Ar-
tifex, ex quo suum
conficiat opus, aut potius, cui o-
pus suum applicet. Sic^b Textor
lanam, sic statuarius aes, sic Medi-
cus corpus humanum, sic^c Mora-
lis animam hominis, pro subiecto
habent. Hoc Subiectum non gi-
gnitur ab ipso^d Artifice, sed esse-
ntiam & genitum supponitur:
efficit ipse in materia iam genita,
fines suos: ut telam Textor, sta-
tuam statuarius, sanitatem Me-
dicus: sic etiam actionem ex uir-
tute, Moralis, ex subiecto suo ex-
tundit. Externa igitur materia

) (4 artifi-

a. Alex. in praef. in p.
prior. analy.

Arist. p. prior. ana-
ly. cap. 5. . & in an-
tecateg. cap. ult.

b. p. politic. cap. 5.

c. p. eth. cap. 13.

d. p. Politic. cap. 7. &
elicitur, ex 7. met.
22.

PRÆFATIO IN

e. Auer in epith.
log. cap. ult.
Eustr. 2. post
analy. com.
324.

f. in. 2. elench. ca-
pite ult.

g. p. priorum 2-
naly. cap. 1.

h. 4. metaphy.
& 3.

artificis Logici, sunt e Categoria: Fi-
nes quos ipse facit & materiae suæ ap-
plicat, Subiectum, Prædicatum, E-
nunciatio, Propositio, Syllogismus,
Demonstratio, Definitio, Genus,
Species, Accidens, Vniuersale, Sin-
gulare, aliaq; istiusmodi, quorum ad-
æquatus finis est ^f Syllogismus, (re-
liqua namq; omnia, uel ut principia,
uel ut partes, uel ut affectiones, uel a-
lio quodam modo ad Syllogismum
referuntur) præcipuus autem ac no-
biliores, g Demonstratio, uocantur ista,
secundæ notiones, quia uidelicet à
Mente primas rerum notiones inter
se comparante, secundo efficiuntur:
nullam rem extra mentem quæ illis
respõdeat immediatè habent, ac pro-
inde h entis quidem naturam, sed te-
nuissimè redolent. Sed agamus nunc,
quod instat. Quis hîc non uidet $\epsilon\upsilon\delta\epsilon\chi\acute{\omega}\mu\epsilon\nu\omicron\nu$ artis Logicæ, tandiu à Scoti
sectatoribus conquisitum? Ars, quia
effi-

CATEG. ARIST.

efficere uult aliquid in materia, idcirco ἐν-
δεχόμενον habere, id est in ijs uersari quæ
aliter se possunt habere, dicitur: At, non ne
materia Logica, facile sine formis Logicis
esse potest? an non varijs modis potest ex-
poliri? i an non æque formis rhetoricis, poë-
ticijs, grammaticis, ac Logicis? repugnat ne?
Et qui repugnaret, cum materia artis nul-
lam intimam propensionem ad formas arti-
ficiosas gerat, ac proinde se totam artifici suo
elaborandam tradat? Excipe coniecturales
artes, ut medicinam, rhetoricam, artem mi-
litarem, quæ se habent ueluti naturæ quæ-
dam quas Aristoteles uocat inordinatio-
res, tum uerum istud esse, in omnibus arti-
bus facile reperies.

i. Auer. in
epith. log.
in præf.

k.p. mete-
or. cap. i.

Hoc ipsum uoluerunt Græci, cum dixere,
In Categorijs agi de uocibus simplicibus
res significantibus: nam alioquin, & Gram-
matici quoq; de uocibus agunt res signifi-
cantibus, imo & multi alij artifices, sed non
quatenus formis ac finibus Logicis subijci
debent. Scientiæ uero & artes, non re consi-

derata

PRÆFATIO IN

1.2. Phy. & prima eth. *derata* quæ plerunq; est eadem, ut eadem li-
nea Mathematici & Physiologi, idem rectū
Fabri & Geometræ, sed modo considerandi
& sine inter se differunt. Auicenas quoque
initio sui operis, cum dicit Logicam esse de
secundis notionibus, applicatis primis, se-
cundas notiones quasi formas applicandas,
primas tanquam materiem & subiectum sta-
m. cap. ult. *tuisse videtur. Imò Aristoteles ipse in an-
te categorijs, paucis uerbis totam hanc rem
nobis significauit, ijs uidelicet,*

“ Singula igitur eorum quæ dicta sunt,
“ (id est Categoriarū,) ipsa quidem secundum
“ se, nullam affirmationem uel negationem
constituunt, mutua uerò illorum complexio-
ne, affirmatio uel negatio conficitur.

Strati itaq; sui noticiam Aristoteles
egregius artifex, ante omnia in Logica tra-
dit, atq; eatenus, quatenus decet, id est pro
usu Logici. Neq; enim faber lignarius om-
nem ligni cognitionem tenet, sed tenuem
duntaxat: perfectam alteri relinquit. Au-
diatur Aristoteles idem de Moralis artifi-
cis subiecto pronunciante. ⁿ

n. primo
eth. cap. 13.

Atqui

CATEG. ARIST.

Atquæ politiores Medici, multum o-
peræ in cognitione corporis ponunt: ergo &
Politicus in animi cognitionem operam cō-
ferre debet: conferre, inquam, harum rerum
gratiâ, & quatenus sit satis ad ea quæ quæ-
rimus. Nam accuratior eius explicatio, ma-
ioris negotij est, quàm ea ipsa sint, quæ nobis
proposita sunt. Qui igitur plenâ tractationē
Categoriarū in logica requirunt, ij non ma-
gis artium naturam atq; progressum tenēt,
quàm qui omnino à Logica illam explodūt.
Nec obstat, quod plenior hîc quam in^a me-
taphysicis esse uideatur, cum tamen contra
potius esse deberet: Aristoteles nanq; ut al-
terius artificis personam sæpe induit, imo in-
duere cogitur, sic oblata occasione, solet res
in alienis locis copiosius persequi, quàm in
proprijs. aliâs exemplis in medium allatis,
hoc ostēdimus. Hoc docemur, artes & scien-
tias omnes, quibusdam quasi uinculis com-
munibus, & cognatione quadam inter se
contineri: atq; unam alterius ope, magis uel
minus egere. Addo, Cognitionē hanc rudem
& uni-

a. 5. meta-
phy.

PRÆFATIO IN

& vniuersalem Categoriarum, non modo ad Logicum opus, sed ad omnem Philosophia cognitionem conducere. Vt igitur nemo est qui neget, Categoriarum tractationem, partim de Metaphysica, partim de Physiologia, partim de Mathematica sumptam esse, sic negare nullus sanæ mentis posthac audebit, Logicum, strati sui notitiam tradere, in ipso vestibulo operis oportuisse: & ut traderet, omnium istorum artificum habitum induere necesse habuisse.

Concludatur primò, res significatas uocibus, aut uoces significantes res (idem enim est) quatenus formis Logicis possunt insigniri, stratum ac subiectum Logici esse, de quo in hoc libello tractatur. Ac infinitæ sunt res, ad decem igitur classes reuocantur omnes: Substantiam, Quantitatem, Qualitatem, Relationem, Vbi, Quando, Situm esse, Habere, Agere, Pati. Percurre animo quacunq; in hac rerum uniuersitate continentur, nihil inuenies, quod ad unum ex istis Generibus non pertineat. Aut enim ui sua

& na-

CATEG. ARIST.

ad & natura propria, cohaeret res, ut Substantia,
Homo, Equus, aut est quasi affectio alteri-
us, cui adhaeret & quo ueluti fundamento ni-
titur: hoc uocatur Accidens, quod uel est
Quantum quiddam, ut numerus, magnitu-
do, uel Qualitas, ut albedo, scientia: uel mu-
tua quaedam Relatio comparatioq; in Substan-
tia uel Accidente, ut Pater, Filius, simile
dissimile: aut Actio quaedam, ut secare urere:
aut perpeßio ut secari uri: aut partium qui-
dam ordo & situs, ut pronum esse, erectum:
aut Loci uel Temporis circumscripção, ut ue-
spere mane, in foro, in schola: aut Habitus
quidam & possessio, ut esse armatum, calcea-
tum, uestitum. Quae uerò superius à nobis
secundae notiones & opera Mentis nostrae
comparantis uocata sunt, nullum certum
ac definitum Genus habent, ad quod per-
tineant, nisi ad Relationem dicendi formulam
reuocare uelimus: Relationem enim quandam
semper notant, ut ex eorum definitionib. li-
quet. Quatuor priores Categoriae accuratius
tractantur, sex aliae solis exemplis declarantur,
quod

PRÆFATIO IN

quòd illæ cognitæ satis materiei uideantur
suppeditare formis logicis conficiendis, de alijs
quatenus in substantia hærent idem iudicium
faciendum sit. Exploditur à Categoria substantiæ,
substantia æterna, quia & ad cognoscendum
difficilior est, quàm Logici uires ferre possint,
& formarum Logicarum ferè non sit capax: Substantia
caduca Logicis formis insigniri commodius poterat.
Differentia formam speciei indicans, & si
substantia sit, ad qualitatis tamen quartum
quoq; genus refertur: quia apud Logicum,
qualitatis naturam sapit, cum in quaestione
illa respondeatur, qua, quale quid sit
aliquid quaeritur. Categoria qualitatis
latissimè se fundit, apud hunc Artificem, quod
ex illius definitione patet: quare & suas &
aliarum etiam Categoriarum affectiones
continet. In summa, Logicè tractantur
omnia.

Concludatur secundo, Libellum hunc
esse primum eorum, quibus ars Logica ab
Aristotele traditur. Liber Porphyrij non
præcedit.

CATEG. ARIST.

præcedit necessariò: quid enim prius quàm
stratum suum cognoscere debet Artifex?
Attamen nonnullæ Logicæ formæ ante Ca-
tegoriarum cognitionem cõficiuntur: æqui-
uocum, uniuocum, denominatum, dici de sub-
iecto, esse in subiecto: Sed hæc pauca & non
ualde operosa præmitti debuerunt, ut Cate-
goriarum doctrina facilior ad percipiendum
redderetur: operosiora postremo loco ponun-
tur. Ex his per se liquet, quomodo tota ista
tractatio commode diuidi queat. Inscriptio
est Categoriarum, vocabulum translatum,
idem hoc loco significat, quod de altero dici,
seu alteri attribui. Ista uerò quæ iam enu-
merauimus, quia de omnibus dicuntur,
Simpliciter Categoriae nuncupantur, ab a-
lijs Generalissima Genera, quod idem
est, cum Generis natura prædi-
catione de pluribus defi-
niatur.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



ARISTOTELIS CATEGORIAE.

SEVERINO BOETHIO
INTERPRETE.

DE ÆQVIVOCIS, VNI-
VOCIS, ET DENOMI-
NATIVIS.

CAPVT I.

ÆQVIVOCA dicuntur, quo-
rum nomen solū commune
est: secundum nomē uerò substantiæ
ratio diuersa: ut animal, & homo, &
quod pictum est. Horum enim so-
lum nomen commune est, secundum
nomen uero substantiæ ratio diuersa.
Si enim quis assignet quid sit eorum
utrunque quo animal est: propriam
assignabit utriusq; ratiōem. Vniuoca
uero dicuntur, quorum nomen com-
mune est, & secundum nomen eadem
substantiæ ratio: ut animal & homo,
atq; bos. *communē nomine, horum*
A utrunq;

A R I S T O T E L I S

utrunq; animal nuncupatur, & est ratio substantiæ eadem. Si quis enim assignet utriusque ratione, quid utrunque est quo animal est: eandem assignabit rationem. Denominatiua uerò dicuntur, quæcunq; ab aliquo, † solo differentia casu, secundum nomen habent appellationem: ut à grammatica grammaticus, & à fortitudine fortis.

† In Græco codice non est, solo.

D E C O M P L E X I S, E T
I N C O M P L E X I S.

C A P V T I I.

E O R U M quæ dicuntur, alia quidem secundum complexionem dicuntur, alia uerò sine complexione. Et ea igitur, quæ secundum complexionem dicuntur, sunt: ut homo currit, homo uincit. Ea uerò, quæ sine complexione dicuntur, sunt: ut homo, bos, currit, uincit. Eorum, quæ sunt: alia de subiecto aliquo dicuntur, in subiecto uero nullo sunt, ut homo de subiecto quidem dicitur quodam homine,

homine, in subiecto uero nullo est. Alia autem in subiecto quidem sunt, de subiecto autem nullo dicuntur. In subiecto uero esse dico, quod cum in aliquo sit, non sicut quaedam pars, impossibile est esse sine eo, in quo est: ut quaedam grammatica in subiecto quidem est, in anima, de subiecto uero nullo dicitur. Et hoc album in subiecto quidem est corpore, omnis enim color in corpore est. Alia uero de subiecto dicuntur, & in subiecto sunt: ut scientia in subiecto quidem est, in anima: de subiecto uero dicitur, ut de grammatica. Alia uero neque in subiecto sunt, neque de subiecto aliquo dicuntur, ut quidam homo, & quidam equus. Nihil enim talium neque in subiecto est, neque de subiecto aliquo dicitur. Simpliciter autem quæ sunt indiuidua, & numero singularia: de subiecto nullo dicuntur: in subiecto autem nihil aliqua prohibet esse: quædam enim grammatica in subiecto est, at de subiecto nullo dicitur.

A 2

De

QUANDO alterum de altero
prædicatur ut de subiecto: quæ
cunq; de eo, quod prædicatur, dicun-
tur: omnia etiam de subiecto dicen-
tur: Vt homo de homine quodam
prædicatur, animal uero de homine:
ergo & de quodam homine animal
prædicabitur. quidam enim homo, &
homo est, & animal. Diuersorum ge-
nerum & non subalternatim posito-
rum, diuersæ sunt species, & differen-
tiæ: ut animalis, & scientiæ. Anima-
lis enim differentiæ sunt, gressibile,
bipes, & uolatile, & aquatile. Scien-
tiæ uero nulla earum est: neque enim
scientia à scientia differt, in eo quod
bipes est. Subalternorum uero gene-
rum, nihil prohibet easdem esse diffe-
rentias: superiora enim de ijs, quæ sub
ipsis sunt generibus, prædicantur:
quare quæcunq; differentiæ prædica-
ti fuerint, eadem erunt etiam subiecti.

* Al. cū spe-
cie, quod
& in grecis
codic. qui-
busdam le-
gitur.

De

DE DECEM PRÆDICA-
MENTIS GENERATIM.

CAPVT IIII.

EORVM, quæ secundum nullam
complexionem dicuntur, singu-
lum, aut Substantiam significat, aut
Quantitatem, aut Qualitatem, aut ad
Aliquid, aut Vbi, aut Quando, aut Si-
tum esse, aut Habere, aut Agere, aut
Pati. Est autem Substantia quidem,
ut figuraliter dicatur, ut homo, equus.
Quantitas autem, ut bicubitum, tri-
cubitum. Qualitas, ut album, gram-
maticum. Ad Aliquid, ut duplum, di-
midium, maius. Vbi uero, in foro, in
Lycio. Quando autem, ut heri, supe-
riore anno. Situm uero esse, ut iacet,
sedet. Habere autem, ut calceatum
esse, armatum esse. Agere uero, ut se-
care, urere. Pati, ut secari, uri. Sin-
gula igitur eorum, quæ dicta sunt, ipsa
quidem secundum se in nulla affirma-
tione dicuntur, uel negatione. Horum
autem ad se inuicem complexione, af-

A 3

firma

ARISTOTELIS

firmatio, uel negatio fit. Videtur autem omnis affirmatio uel uera, uel falsa esse. eorum autem, quæ secundum nullam complexionem dicuntur, nullum neque uerum, neque falsum est: ut homo, album, currit, uincit.

DE SUBSTANTIA.

CAPUT V.

† Legit græcus cod.
 ἔστὶ δὲ ἕστὶ. .i. substantia autem est.

SUBSTANTIA autem † quæ proprie, & principaliter, & maxime dicitur, est quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est: ut quidam homo, & quidam equus. Secundæ autem substantiæ dicuntur species, in quibus eæ (quæ principaliter substantiæ dicuntur) insunt, & eæ quidem, & harum specierum genera: ut quidam homo, in specie quidem est in homine, genus uero speciei animal est. secundæ igitur hæ substantiæ dicuntur: ut est homo, atque animal. Manifestum est autem ex ijs, quæ dicta sunt, quoniam eorum quæ de sub-

de subiecto dicuntur, necesse est & nomen, & rationem de subiecto prædicari: vt homo de subiecto quodam homine dicitur, prædicatur etiam & nomen: hominem enim de quodam homine prædicabis, & ratio quoque hominis de quodam homine prædicabitur. quidam enim homo, & homo est, & animal rationale, mortale; quare & nomen, & ratio de subiecto prædicabitur. Eorum uero, quæ in subiecto sunt, in plurimis quidem neque nomen, neque ratio prædicabitur de subiecto: in aliquibus autem nomen quidem nihil prohibet prædicari aliquando de subiecto; rationem uero impossibile est: vt album, cum in subiecto sit corpore, prædicatur de subiecto (dicitur enim corpus album) ratio uero albi nunquam de corpore prædicabitur. Alia uero omnia, aut de subiectis dicuntur primis substantiis, aut in subiectis eis sunt. Hoc autem manifestum ex his, quæ per singula proponuntur: vt animal de homine prædicatur, ergo

A 4

& de

& de quodam homine animal prædicabitur. Nam si de nullo quorundam hominum; neque omnino de homine. Rursus color in corpore est, ergo & in quodam corpore. Nam si non in aliquo esset singulorum, nec omnino in corpore. quare alia omnia aut de subiectis primis dicuntur substantiis, aut in subiectis eis sunt. Non ergo existentibus primis substantiis, impossibile est aliquid aliorum esse. † [Omnia enim alia aut prædicantur de eis, aut in subiectis eis sunt: quare non existentibus primis substantiis, impossibile est aliorum aliquid esse.] Secundarum vero substantiarum, magis substantia est species, quam genus. Propinquior enim est primæ substantiæ: si quis enim assignet primam substantiam quid est, evidentius, & convenientius assignabit speciem, quam genus assignans: ut hominem quendam manifestius assignabit, hominem, quam animal assignans. Illud enim proprium magis cuiusdam hominis, hoc autem

† Non leguntur hæc in græcis codicibus. uno forte antiquo excepto.

κ

tem communis. Et cum quandam arborem assignauerit, manifestius assignabit assignando arborem, quam plantam. Amplius, Primæ substantiæ ideo quod alijs omnibus subiiciuntur, & omnia alia uel de ipsis prædicantur, uel in ipsis sunt; propter hoc maxime substantiæ primæ dicuntur. Quemadmodum autem primæ substantiæ ad alia omnia se habent, sic & species ad genus se habet. Subiicitur enim species generi, genera enim de speciebus prædicantur: species autem cum generibus non conuertuntur. Quare & ex his † species genere magis substantia est. Ipsarum uero specierum, quæcunq; non sunt genera, nihil magis alterum altero substantia est. Nihil enim familiarius assignabis de quodam homine, hominem assignando, quam de quodam equo, equum. Similiter autem & in primis substantijs, nihil magis alterum altero substantia est. Nihil enim magis quidam homo substantia est, quam quidam bos.

A 5

Merito

† Legūt alij. manifestum quod &c.

Al. Igi-
tur.

Merito^o autem post primas substan-
tias, sola aliorum omnium species, &
genera secundæ substantiæ dicuntur:
sola enim hæc, eorum quæ prædicantur,
primam substantiam indicant.
Quendam enim hominem, si quis as-
signauerit quid est, speciem quidem,
quam genus; assignando familiarius
demonstrabit: & manifestius faciet,
hominem assignando, quàm animal.
Aliorum uero omnium quicquid as-
signauerit quis, assignabit extraneæ,
uelut album, aut currit, aut aliud quod
cunq; talium assignans: quare merito
hæ solæ aliorum secundæ substantiæ
dicuntur. Amplius, Primæ substan-
tiæ eo quod alijs omnibus subiun-
tur, & omnia alia de illis prædicatur,
uel in ipsis sunt, propriissimæ substan-
tiæ dicuntur. Sicut autem primæ sub-
stantiæ ad alia omnia se habent; ita ge-
nera, & species primarum substantia-
rum ad reliqua omnia se habent: de
his enim reliqua omnia prædicantur:
quendam enim hominem dices gram-
matici

maticum esse: ergo & hominem, & animal grammaticum dices. Similiter autem & in alijs. Commune autem omni substantiæ, est in subiecto non esse. Prima namque substantia, nec in subiecto est, nec de subiecto aliquo dicitur. Secundarum uero substantiarum constat quidem etiam, sic; quia nulla est in subiecto. Homo enim de subiecto quidem quodam homine dicitur; in subiecto uero nullo est, neque enim in quodam homine homo est: similiter autem & animal de subiecto quidem dicitur quodam homine; non etiam est animal in quodam homine. Amplius, Eorum, quæ in subiecto sunt, nomen quidem de subiecto aliquando nihil prohibet prædicari, rationem uero impossibile est: secundarum uero substantiarum de subiecto ratio prædicatur, & nomen: rationem autem hominis de quodam homine prædicabis: & animalis similiter. Quare non erit eorum substantia, quæ sunt in subiecto. Non est autem
propria

ARISTOTELIS

proprium substantiæ hoc, sed & differentia eorum est, quæ non sunt in subiecto. Bipes enim, & gressibile de subiecto quidem quodam homine dicitur; in subiecto uero nullo est; neque enim in homine est bipes, neque gressibile: ratio quoque differentiæ de illo prædicatur, de quocunque ipsa differentia dicitur. Velut si gressibile de homine prædicatur, & ratio gressibilis de homine prædicabitur; est enim homo gressibilis. Non uos uero conturbent substantiarum partes, quæ ita sunt in toto, quasi in subiecto sint; ne forte cogamur eas non esse substantias confiteri: non enim sic in subiecto esse dicebantur, quasi partes essent. Inest autem substantiis, & differentiis omnia uniuoce prædicari.

Omnia enim, quæ ab his prædicata sumuntur, aut de indiuiduis prædicantur, aut de speciebus. à prima namque substantia nulla est prædicatio: de nullo enim subiecto dicitur: secundarum uero substantiarum species quidem

quidem de indiuiduo prædicatur, genus uero et de specie, et de indiuiduo. Similiter autem & differentiæ, & de speciebus, & de indiuiduis prædicantur: & rationem quoque suscipiunt primæ substantiæ specierum, & generum; & species generis. Quæcunque enim de prædicato dicuntur, eadem & de subiecto dicentur. Similiter autem rationem differentiarum suscipiunt species, & indiuidua. Uniuoca autem sunt, quorum & nomen commune est, & ratio eadem: quare omnia quæ à substantiis, & differentiis sunt; uniuoce prædicantur. Omnis autem substantia uidetur hoc aliquid significare: & in primis igitur substantiis indubitabile, & uerum est, quoniam hoc aliquid significant: Indiuiduum enim, & unum numero est, quod significatur. In secundis uero substantiis uidetur quidem similiter propter appellationis figuram hoc aliquid significare, quando quis dixerit hominem, uel animal: non tamen uerum est, sed magis

gis

gis quale aliquid significant: neque enim unum est quod subiectum est, quemadmodum primæ substantiæ; sed de pluribus homo dicitur, & animal. Non autem simpliciter quale quid significat, quemadmodum album (nihil enim aliud significat album, quam qualitatem) at species, & genus circa substantiam qualitatem determinant, qualem enim quandam substantiam significant: plus autem in genere determinatio fit, quam in specie: dicens enim animal, plus complectitur, quam qui hominem. Inest autem substantiis nihil illis esse contrarium. Primæ enim substantiæ quid erit contrarium? ut cuidam homini, uel cuidam animali, nihil est contrarium. At uerò nec homini, nec animali aliquid est contrarium. Non est autem hoc substantiæ proprium; sed etiam multorum aliorum, ut quantitati: bicubito enim, uel tricubito nihil est contrarium, at uerò nec decem, nec alicui talium: nisi forte quis multum pauco dicat esse contrarium.

trari-

trarium, uel magnum paruo. Determinatorum uerò quantorum nullum nulli est contrarium. Videtur autem substantia non suscipere magis & minus. Dico autem non, quoniam substantia non est à substantia magis & minus substantia (hoc enim dictum est, quoniam est) sed quoniam unaquæque substantia hoc ipsum quod est, non dicitur magis & minus: ut si est hæc substantia, homo; non erit magis & minus homo, nec ipse à seipso, nec alter ab altero; non enim est alter altero magis homo, sicut est album altero magis album, & alterum altero magis bonum, sed & ipsum à se magis & minus dicitur: ut corpus cū sit album, magis, nunc album esse dicitur, quàm prius: & cum calidū sit; magis & minus calidum dicitur. Substantia uerò non dicitur magis neque minus: nihil enim homo magis nunc homo, quàm prius dicitur: nec aliorum quicquam quæ substantiæ sunt. Quapropter non recipiet substantia
magis

magis & minus. Maximè uerò proprium substantiæ esse uidetur, cum unum & idem numero sit, contrariorum susceptiuum esse: ut in alijs quidam non habet quisquam quod proferat, quæcunque non sunt substantiæ, quod cum sit unum numero, susceptibile contrariorum sit: uelut color, qui est vnus, & idem numero, * non dicitur albus & niger: neq; eadem actio, & vna numero, praua, & studiosa. similiter autem & in alijs, quæcunque non sunt substantiæ. Substantia uerò, cum unum, et idem numero sit, capax contrariorum est: ut quidam homo, cum vnus, & idem sit, aliquando quidam albus, aliquando fit niger, & calidus, & frigidus, & prauus, & studiosus: in alijs autem nullis, aliquid tale uidetur. Nisi quis forsitan instet, dicens orationem, & opinionem contrariorum esse susceptibilia: eadem enim oratio uera, & falsa uidetur esse: ueluti, si uera sit oratio, sedere quendam; eo surgente ipsa eadem falsa erit.

simili

* est alij legunt.

similiter autem & de opinione, si quis enim uerum putet aliquem sedere; surgente eo falso putabit eandem, de eodem opinionem habens. Sed & si quis hoc suscipiat, tamen modo differt: nam ea, quæ in substantiis sunt, ipsa quidem mutata susceptibilia sunt contrariorum. Frigidum enim ex calido factum mutatum est (alteratum enim est) & nigrum ex albo, & studiosum ex prauo: similiter autem & in alijs unumquodque eorum mutationem suscipiens, susceptibile contrariorum est. Oratio namque, & opinio, ipsa quidem immobilia omnino perseverant: cum uero res mouetur, contraria circa ipsam fiunt. Oratio namque eius, quod sedeat aliquis, permanet eadem, cum uero res mota sit; aliquando quidem uera, aliquando autem falsa dicitur. Similiter autem est in opinione quapropter saltem hoc modo, proprium substantiæ est, ut secundum mutationem sui ipsius susceptibilis sit contrariorum. Si quis autem

B

reci

recipiat etiam hæc, orationem, & opinionem susceptibilia esse contrariorum; non est hoc uerum. Oratio namque, & opinio non in eo quod ipsa aliquid recipiant, contrariorum, susceptibilia esse dicuntur, sed eo quod circa alterum aliqua passio facta sit, nam in eo quod res est, aut non est, in eo etiam oratio uera, uel falsa esse dicitur, non in eo quod ipsa susceptibilis sit contrariorum. Simpliciter enim à nullo, neque oratio, neque opinio mouetur: quapropter non erunt susceptibilia contrariorum, cum nulla contrarij sit passio in eis facta: uerum substantia in eo quod ipsa contraria recipiat, in hoc susceptibilis esse contrariorum dicitur: languorem enim, & sanitatem suscipit, & candorem, & nigredinem. & unumquodque talium, ipsa suscipiendo, contrariorum susceptibilis esse dicitur. Quare proprium erit substantiæ hoc, cum unum, & idem numero sit, secundum sui ipsius mutationem, susceptibilem contrariorum esse

esse. De substantia quidem hæc dicta sunt.

DE QUANTITATE.

CAPVT VI.

QUANTITATIS autem, aliud est continuum, aliud est discretum: & aliud quidem ex habentibus positionem ad seinuicem in ipsis, partibus constat: aliud autem ex non habentibus positionem. Est autem discreta quantitas, ut numerus & oratio: continua uero, ut linea, superficies, corpus. amplius autem præter hæc tempus, & locus. Partium etenim numeri nullus est communis terminus, ad quem copulantur partes eius. ut quinque si sunt denarij partes, ad nullum terminum communem copulantur quinque & quinque, sed semper discreta sunt: & tria, & septem ad nullum communem terminum copulantur. Neque omnino habeas in numero communem terminum partium accipere,

B 2

sed

sed semper discretæ & separatæ sunt: quapropter numerus quidem discretorum est. Similiter autem & oratio discretorum est. Quod etenim quantitas est oratio, manifestum est: mensuratur enim syllaba breui, & longa. Dico autem cum uoce orationem factam: ad nullum enim communem terminum particule eius copulantur, non enim est communis terminus, ad quem syllabæ copulentur; sed unaquæque diuisa est, ipsa secundum seipsam. Linea uero continuum est: est enim sumere communem terminum, ad quem partes eius copulantur, id est, punctum: & superficiem, lineam. Planis namque partes ad aliquem communem terminum copulantur. Similiter autem & in corpore habeas† sumere communem terminum, lineam, uel superficiem, ad quam corporis partes copulantur. Est autem talium & Tempus, & Locus: præsens enim tempus, copulatur ad præteritum, & ad futurum. Rursus locus continuo-

rum

† Legunt
alij: sumere
& assigna-
re.

rum est: locum enim quædam partes corporis obtinent, quæ ad communem terminum copulantur. ergo & loci partes, quæ obtinent singulas corporis partes, ad eundem communem terminum copulantur, ad quem & corporis partes: quapropter continuus erit & locus. Ad unum enim communem terminum eius partes copulantur. Amplius autem: Alia quidem constant ex partibus, quæ in eis sunt, positionem habentibus ad se inuicem: alia autem ex non habentibus positionem, ut lineæ quidem partes positionem habent ad se inuicem: singulum nanç eorum situm est alibi, & habes unde sumas, & assignes ubi unum quodç situm est in plano, & ad quam partem reliquarum copulatur. similiter autem & partes plani positionem habent aliquam: similiter nanç assignetur unumquodque ubi iacet, & quæ copulantur ad se inuicem: sed & soliditatis quoç, similiter & loci.

B 3

possit

possit quisquam ostendere, quemadmodum partes eius positionem aliquam habent ad se inuicem, aut ubi iacent, aut quæ partes ad se inuicem connectuntur: neque ea quæ temporis sunt, nihil enim permanent partes temporis. Quod autem non est permanens, quomodo positionem aliquam habebit? Sed magis ordinem quendam particularum dices habere, quod aliud quidem prius sit temporis, aliud uero posterius. Sed & de numero similiter, eo quod prius numeratur unus, quam duo; & duo quam tria: & sic habebunt aliquem ordinem, positionem uero non [†] multum accipies. Sed & oratio similiter: ^{*} nihil enim permanent partes eius: sed dictum est, & non potest hoc amplius assumi. Quapropter non erit nulla positio partium eius, siquidem nihil permanent. Igitur alia ex habentibus [†] positionem partibus constant, alia ex non habentibus positionem. Proprie autem quanta dicuntur, quæ dicta

[†] Al. omnino.

^{*} Al. nulla enim remanere partium.

[†] Al. rationem ad se inuicem partibus.

cta

Et sunt: alia uero omnia secundum
accidens. Ad hæc enim aspicientes, &
alia dicimus quanta: ut multum dici-
tur album: eo quod superficies multa
sit, & actio longa, eo quod tempus
multum sit, & motus multus. Neque
enim horum singulum, per se quan-
tum dicitur: ut si quis assignet quanta
actio est; tempore definiet annuam,
uel sic aliquo modo assignans: & al-
bum, quantum quid sit assignans, su-
perficie definiet: quanta enim fuerit
superficies, tantum album esse dicet.
Quare sola proprie, & secundum se
ipsa dicuntur quanta, quæ dicta sunt:
aliorum uero nihil per se: sed si forte,
per accidens. Amplius: Quantitati
uero, nihil est contrarium. In definitis
enim manifestum est, quoniam nihil
est contrarium: ut bicubito, uel tricub-
bito, uel superficiei, uel alicui talium:
nihil enim illis est contrarium. Nisi
quis forte dicat multum paucum esse
contrarium: uel magnum paruum. Ho-
rum autem nihil est quantitas, sed ma-

B 4

gis ad

gis ad aliquid. Nihil enim per seipsum magnum, uel paruum dicitur, sed eo quod ad alterum refertur: ut mons quidem paruus dicitur, milium, uero magnum; eo quod hoc ijs quæ sunt sui generis, maius sit: illud, ijs, quæ sui sunt generis, minus: ergo, ad aliud est eorum relatio. Nam si per seipsum magnum, uel paruum diceretur, nunquam mons quidem aliquando paruus, milium uero magnū diceretur. Rursus, in uico quidem plures homines esse dicimus, Athenis uero paucos, cum sint illis multo plures: & in domo quidem multos, in theatro uero paucos, cum sint plures. Amplius: Bicubitum, & tricubitum, & unumquodq; talium quantitatem significat: magnum uero uel paruum non significat quantitatem, sed magis ad aliquid; quoniam ad aliud consideratur magnum & paruum: quare manifestum est, quoniam hæc ad aliquid dicuntur. Amplius: Siue aliquis ponat quantitates esse hæc, siue non

ue non ponat; nihil illis contrarium est: quod enim non potest sumi per seipsum, sed ad solam alterius relationem refertur, quomodo huic aliquid erit contrarium? Amplius: Si sunt magnum, & paruum contraria, contingit enim † simul contraria suscipere, & ea ipsa contraria, contingit enim simul idem paruum esse, & magnum: est enim ad hoc quidem paruum, ad aliud uero ipsum magnum: quare idem & paruum & magnum eodem tempore esse contigit, quare simul contraria suscipit: sed nihil est quod uideatur simul contraria suscipere posse. Vt in substantia quidem, susceptibilis enim contrariorum esse uidetur: sed nullus simul sanus est, & æger: neque albus, & niger est simul: nihilque aliud simul contraria suscipiet. Et eadem sibiipsis continget esse contraria: nam si est magnum paruo contrarium, ipsum autem idem simul est magnum, & paruum, ipsum sibi erit contrarium: sed impossibile est ali-

† Addunt aliqui anti qui cod. aliquando.

B 5

quid

quid sibi ipsi esse contrarium. non est igitur magnum paruo contrarium, neque multum pauco; quare uel si non ad aliquid hæc quis dicat, sed quantitatis, nihil contrarium habebunt. Maxime autem circa locum esse uidetur contrarietas quantitatis: sursum enim ei, quod est deorsum, contrarium ponunt, locum qui in medio est deorsum dicentes, eo quod plurima distantia est medietatis ad mundi terminos. Videntur & aliorum contrariorum ab his afferre definitionem: quæ enim plurimum à se inuicem distant sub eodem genere, contraria esse definiunt. Non uidetur autem quantitas suscipere magis & minus, ut bicubitum: neque enim aliud est alio magis bicubitum: neque in numero, ut tria quam quinque nihil magis dicuntur, uel quinque magis quam tria: nec tempus aliud magis & minus dicitur tempus: nec in ullo eorum, quæ dicta sunt, omnino magis & minus dicitur: quare quantitas non suscipit magis & minus. Proprium

prium autem maximè quantitatis est, quod æquale, & inæquale dicitur. Singula quæque enim earum, quæ dictæ sunt quantitatum, æqualis, & inæqualis dicitur: ut corpus, æquale & inæquale dicitur: & numerus, & tempus, æquale, & inæquale: & oratio, æqualis, & inæqualis: similiter autem & in alijs, quæ dicta sunt, unumquodque æquale & inæquale dicitur. In cæteris uero, quæ quantitates non sunt, non multum uidebitur æquale, & inæquale dici: ut dispositio æqualis, & inæqualis non multum dicitur: sed magis similis, & dissimilis. & album æquale, & inæquale non multum dicitur, sed simile, uel dissimile. Quare quantitatis maximè sit proprium, æquale & inæquale dici.

D E A D A L I Q U I D .

C A P U T V I I .

A D

AD aliquid uerò talia dicuntur,
 quæcunq; hoc ipsum quod sunt,
 aliorum esse dicuntur, uel quomodolibet aliter ad aliud. Ut maius hoc ipsum quod est altero dicitur, aliquo enim maius dicitur: & duplum alterius dicitur hoc ipsum quod est: alicuius enim duplum dicitur: similiter autem & alia quæcunq; huiusmodi sunt. At uero sunt etiam & hæc ad aliquid, ut habitus, dispositio, scientia, sensus, & positio. Hæc. n. omnia, quæ dicta sunt, hæc ipsa quæ sunt, aliorum esse dicuntur, uel quomodolibet aliter ad aliud, & non ad aliud quiddam. Habitus. n. alicuius habitus esse dicitur, & scientia alicuius scientia, & positio alicuius positio, & alia quidem similiter. Ad aliquid igitur sunt, quæcunq; hoc ipsum quod sunt, aliorum esse dicuntur, uel quomodolibet aliter ad aliud: ut mons magnus dicitur ad alium montem (magnum enim ad aliquid dicitur) & simile alicui simile, & cætera talia similiter ad aliquid dicuntur.

Sunt

Sunt autem & accubitus, & statio, & sessio positiones quædam, positiones uero ad aliquid sunt: iacere autem, & stare, uel sedere, ipsa quidem nō sunt positiones, denominatiuè uero dicuntur ab ijs (quæ dictæ sunt) positionibus. Inest autem contrarietas in ijs, quæ sunt ad aliquid: ut uirtus uitio contrarium, cum sit utrunque eorum ad aliquid: & scientia ignorantia. Non autem omnibus ijs, quæ sunt ad aliquid, † inest contraria: duplo enim nihil est contrarium, neque dimidio, neq; ulli talium. Videntur autem magis & minus ea, quæ ad aliquid sunt, suscipere. Simile enim, & dissimile magis & minus dicitur: & æquale, & inæquale magis & minus dicitur; cū utrunque sit ad aliquid. Simile enim alicui simile dicitur, & inæquale alicui inæquale. Non autem omnia, que sunt ad aliquid, suscipiunt magis & minus: duplum enim non dicitur magis & minus duplum, nec aliquid tale. Omnia autem, quæ sunt ad aliquid,

† Legunt alij, inest contrarietas.

quid, ad conuertentiam dicuntur. Vt seruus, domini seruus: & dominus, serui dominus esse dicitur: & duplū, dimidiij duplum: & dimidium, dupli dimidium: & maius, minore maius: & minus, minore minus. similiter autem & in alijs. Sed casu aliquoties differunt secundum locutionem: ut disciplina, disciplinati disciplina dicitur: et disciplinatum, disciplina disciplinatum: & sensus, sensibilis sensus, & sensibile sensu sensibile. At uero aliquoties non uidebitur conuerti, nisi conuenienter ad quod dicitur assignetur. Sed peccet is qui assignat, ut ala, si assignetur auis, non conuertitur, ut sit auis alæ: nō enim prius conuenienter assignatum est ala auis. neq; enim in eo quod auis est, ala auis dicitur, sed in eo quod alata est: multorum enim & aliorū alæ sunt, quæ non sunt aues. Quare si assignetur conuenienter, & conuertitur: ut ala, alati ala est: & alatum ala alatum. Aliquoties autem fortē & nomen fingere necesse erit, si
non

nō fuerit nomen impositum, ad quod
conuenienter assignetur; ut remus si
assignetur nauis, non est assignatio
conueniens. neq; enim in eo quod na-
uis est, in eo eius remus dicitur. sunt
enim naues quarum remi non sunt:
quare non conuertitur nauis enim nō
dicitur remi nauis. Sed forte cōueni-
entior assignatio erit, si sic quodāmo-
do assignetur: remus remitæ rei re-
mus est, aut quomodocūq; aliter: no-
men enim non est positum. Conuer-
titur autem si conuenienter assigne-
tur: remitum enim remo remitum est.
Similiter autem & in alijs, ut caput
conuenientius assignabitur capitati
caput, quàm si animalis assignetur;
neque. n. in eo quod est animal, caput
habet: multa enim animalia sunt capi-
ta non habentia. Sic autem fortasse fa-
cillimè quis sumet, quibus posita non
sint nomina: si ab ijs quæ prima sunt,
& ijs, ad quæ conuertuntur, nomina
ponuntur: ut in ijs, quæ prædicta sunt;
ab ala alatum, à remo remitū. Omnia
igitur,

igitur, quæ ad aliquid dicuntur, si conuenienter assignentur, ad conuertentiam dicuntur: quoniam, si ad quodlibet aliud assignentur, & non ad id, ad quod dicuntur; non conuertuntur. Dico autem quoniam neque eorum, quæ indubitanter ad conuertentiam dicuntur, & nomina eis posita sunt, nihil conuertitur, si ad aliquid eorum, quæ sunt accidentia assignentur, & non ad id, ad quod dicuntur: ut seruus, si non domini assignetur, sed hominis, uel bipedis, uel cuiuscumque talium, non conuertitur: namque dici non potest, homo est serui homo, non enim conueniens est assignatio. Amplius: Si autem conuenienter assignetur ad id, ad quod dicitur, omnibus alijs sublati, quæcumque accidentia sunt, relicto solo illo, ad quod assignatum est conuenienter, semper ad ipsum dicetur: ut si seruus ad dominum dicitur, circumscriptis omnibus, quæ accidentia sunt domino, ut esse bipedem, uel scientiæ susceptibilem, uel

uel hominem; relicto uero solo, quod dominus est, semper seruus ad ipsum dicitur; seruus enim domini seruus dicitur. Si autem non conuenienter ad id, ad quod dicitur, assignetur, circumscriptis omnibus alijs, relicto eo solo, ad quod assignatum est; non dicitur ad ipsum: assignetur enim seruus hominis, & ala auis, & circumscribatur ab homine esse dominum, non iam seruus ad hominem dicitur: cum enim dominus non sit, neque seruus est. Similiter & de aue, si adimatur eam alatum esse: non enim amplius erit ala ad aliquid: cum enim non sit alatum, nec ala erit alicuius. Quare oportet assignari ad id, ad quod conuenienter dicitur: & si sit nomen positum, facilis erit assignatio: si autem non sit, fortasse necessarium erit nomen fingere: si autem sic assignetur, manifestum est quoniam omnia ad conuertentiam dicuntur. Videtur autem ad aliquid, simul esse natura: & in plurimis quidem uerum est, in aliquibus uero non

C

uerum.

uerum, simul, n. duplum, & dimidium
sunt: & cum sit dimidium, duplū est:
& cum sit dominus, seruus est: & cum
sit seruus, dominus est. similiter autē
his, & alia. Simul autem hæc auferunt
seinuicem; si enim non sit duplum, nō
erit dimidium: & si non sit dimidium,
nō erit duplum. Similiter autem & in
alijs, quæcunq; talia sunt. Non autem
in omnibus relatiuis uerum uidetur,
esse simul natura. scibile enim scientia
prius uidebitur esse: nanq; in plurib;
subsistentibus rebus scientias accepi-
mus, in paucis uero, uel nullo quis-
quam hoc perspiciet, simul cum sci-
bili scientiam esse factam. Amplius:
Scibile sublatum simul aufert scienti-
am, scientia uero simul non aufert sci-
bile. nam si scibile non sit, non erit sci-
entia, nullius enim erat scientia: sciē-
tia uero si non sit, nihil prohibet esse
scibile: ut circuli quadratura si est sci-
bilis, scientia quidem eius nondū est,
illa uero scibile est. Amplius: Anima
li quidem sublato non erit sciētia: sci-
bilium

bilium uero plurima esse cōtingit. Similiter his sese habent ea, quæ de sensu sunt: sensibile enim prius, quàm sensus esse uideatur: sublatum enim sensibile simul aufert sensum: sensus uero sensibile nō simul aufert, sensus enim circa corpus, & in corpore sunt.

sensibili autē sublato, aufertur & corpus, † sensibile enim corpus est: cum

autem corpus nō sit, aufertur sensus: quare simul aufert sensibile, sensum.

Sensus uero sensibile non simul aufert: sublato enim animali, sensus quidem aufertur: * sensibile autem erit

corpus, ut calidum, dulce, amarum, et omnia alia quæcunq; sunt sensibilia.

Amplius: Sensus quidem simul cum sensitiuo fit, simul enim fit animal, & sensus, sensibile uero ante animal, & sensum est: ignis enim & aqua, & alia huiusmodi, ex quibus ipsum animal constat, ante sunt, quā animal omnino sit, uel sensus: quare prius sensibile quā sensus esse uidebitur. Habet autē dubitationem, utrum nulla substantia

† Leg. al. sensibiliū enim & corpus est.

* Al. sensibile autem non, ut calidis.



* Al. si hoc
&c.

ad aliquid dicatur; quemadmodum uideatur: * an hoc contingat secundum quasdam secundas substantias. Nam in primis substantiis uerum est: nam neque totæ, neque partes primarum substantiarum dicuntur ad aliquid: nam quidam homo, non dicitur alicuius quidam homo: neque quidam bos, alicuius quidam bos. Similiter autem & partes. quædam enim manus, dicitur non alicuius quædam manus, sed alicuius manus: & quoddam caput, non dicitur alicuius quoddam caput, sed alicuius caput. Similiter autem & in secundis substantiis, atque hoc quidem in pluribus: ut homo, non dicitur alicuius homo: nec bos, alicuius bos; nec lignum, alicuius lignum: sed alicuius possessio dicitur. In huiusmodi ergo manifestum est, quoniam non sunt ad aliquid. In aliquibus uero secundis substantiis, habet aliquam dubitationem: ut caput, alicuius caput dicitur: & manus alicuius dicitur manus: & singula huiusmodi. quare hæc fortasse ad

se ad aliud esse uidebuntur. Si igitur
suffICIENTER eorum, quæ sunt ad ali-
quid, definitio assignata est; aut nimis
difficile, aut impossibile est ostende-
re, quod nulla substantia eorum, quæ
sunt ad aliquid, dicitur. Si autem non
suffICIENTER, sed sunt ad aliquid, quib.
hoc ipsum est esse, ad aliquid quodam
modo se habere; fortasse aliquid con-
tra ista dicitur. Prior uero definitio
sequitur quidem omnia ea, quæ sunt
ad aliquid; non tamen hoc eis est esse,
quod sunt ad aliquid, quod ea ipsa
quæ sunt, aliorum dicuntur. Ex his
ergo manifestum est, quod si quis ali-
quid eorum, quæ sunt ad aliquid, de-
finite sciet; & illud, ad quod dicitur,
definite sciturus est. Palam itaq; & ex
his est: si enim nouit aliquis quiddam,
quod ad aliquid est (est autem esse ijs,
quæ ad aliquid sunt, idē ac ad aliquid
aliquo modo se habere) & illud nouit,
ad quod hoc aliquo modo se habet. Si
enim non nouit omnino ad quod hoc
aliquo modo se habet; neq; si ad ali-

quid hoc aliquo modo se habet, non
 scet. Sed in singulis palam hoc est, ut
 si quid nouit quis definite, quia duplū
 est, & cuius duplum est; mox definite
 nouit: si uero nullius definatorum nouit
 ipsum duplum esse; neq; si sit du-
 plum omnino nouit. Similiter autem
 & hoc aliquid si nouit quis quod me-
 lius est definite; & quo melius est, sta-
 tim definite necessariū est nosse. Pro-
 pter hæc, nō indefinite sciet, quia hoc
 est peiore melius. suspicio enim hæc
 est, non scientia: non enim sciuit exa-
 cte, quod est peiore melius; si enim sic
 accidit, nihil est deterius ipso. Qua-
 propter palam est, quia necessarium
 est, si nouerit quis aliquod relatiuorū
 definite; & id, ad quod dicitur, defini-
 te nosse. Caput uero, & manus, & eo-
 rum singula, quæ substantiæ sunt, ea
 ipsa quæ sunt, sciri definite possunt:
 ad quod uero dicantur, non est neces-
 sariū scire. cuius enim hoc caput, uel
 cuius hæc manus sit, non est scire de-
 finite: quare nō erunt hæc ad aliquid.

Si

Si uero non sunt hæc eorum, quæ sunt ad aliquid, uerum erit dicere, quia nulla substantia aliquid eorum est, quæ sunt ad aliquid. Fortasse autem difficile sit de huiusmodi rebus cōfidenter declarare, nisi id sæpe pertractatum sit: dubitasse autem de horum unoquoque non est inutile.

D E Q U A L I T A T E.

C A P V T V I I I.

QU A L I T A T E M uero dico, secundum quam quales quidem esse dicuntur. Est autem qualitas eorum, quæ multipliciter dicuntur. Et una quidem species qualitatis, habitus, & dispositio dicantur. Differt autem habitus à dispositione, quod permanētior, & diuturnior est. Tales uero sunt scientiæ, & uirtutes. Scientia enim uidetur esse permanentium, & eorum, quæ difficile moueantur, si quis uel mediocriter sumat scientiam:

† Al. multò permanētior.

† Al. diuturnorum.

C 4

nisi

nisi grandis permutatio facta sit, uel ab ægritudine, uel ab aliquo huiusmodi. Similiter autem & uirtus, ut iusticia, & castitas, & singula talium, non uidentur posse moueri, neque facile permutari. Dispositiones uero dicuntur, quæ sunt facile mobiles, & cito permutabiles: ut calor, & frigiditas, & ægritudo, & sanitas, & quæcunque alia huiusmodi: afficitur enim quodammodo secundum eas homo, cito autem permutatur, & ex calido frigidus fit, & ex sanitate in ægritudinem transit. Similiter autem & in alijs, nisi forte quæ earum contingit per temporis longitudinem in naturam cuiusque transferri, & immobilis, uel difficile mobilis existens; quam iam * quilibet habitum uocet. Manifestum est autem, quoniã hæc uolunt habitus dicere, quæ sunt diuturniora, uel difficile mobilia: namque in disciplinis non multum retinentes, sed facile mobiles, non dicuntur habitum habere, quanuis sint ad disciplinã peius, melius.

* Al. quispiam.

Al. quispiã fortasse.

Qui enim retinent habitum, licet

meliusue dispositi: quare differt habitus à dispositione, quod hæc quidem facile mobilis sit; ille vero diuturnior, & difficilius mobilis. Sunt autem habitus, & dispositiones: dispositiones uero non necesse est habitus esse. qui enim retinent habitum; & quodammodo dispositi sunt ad ea, quæ habent, uel peius, uel melius: qui autem dispositi sunt; non omnino retinent habitum. Aliud uero genus qualitatis est, secundum quod pugillatores, uel cursores, uel salubres, uel insalubres dicimus: & simpliciter quæcunq; secundum potentiam naturalem, uel impotentiam dicuntur. Nō enim quoniam sunt dispositi aliquo modo, uel numquodq; huiusmodi dicitur; sed quod habent naturalem potentiam, uel impotentiam facile quidem facere, uel nihil pati: ut pugillatores, uel cursores dicuntur, non quod sint dispositi aliquo modo, sed quod habeant potentiam naturalem hoc facile faciendi. Salubres uero dicuntur, eo quod

ra Græca paulo aliter nunc habet, ut ex notis agnoscitur.

C § habes.

habeant potentiam naturalem ut nihil à quibuslibet accidentibus facile pati-
antur, insalubres uero quod impoten-
tiam habeant naturalem nihil facile ab
accidentibus patiendi. Similiter his,
durum, & molle se habent: durum e-
nim dicitur, quod habeat potentiam
non facile secari: molle uero quod e-
iusdem ipsius habeat impotentiam. Ter-
tia uero species qualitatis est, passibi-
les qualitates, † & passionēs. Sunt au-
tem huiusmodi ut dulcedo, & amari-
tudo, & austeritas, & omnia his co-
gnata, amplius, & calor, & frigus, &
albedo, & nigredo. Et quoniam igitur
hæ qualitates sunt, manifestum est: que-
cunque enim has susceperint, qualia di-
cuntur secundum ipsas; ut mel quoni-
am dulcedinem suscipit, dicitur dulce,
& corpus album, quoniam albedinem
suscipit. Similiter autem & * in cæteris.
Passibiles uero qualitates dicuntur,
non quod ea, quæ illas susceperint
qualitates, aliquid patiantur, neque .n.
mel, quoniam aliquid passum sit dicitur
tur

† Al. uel.

* Al. in cæ-
teris se ha-
bent.

tur dulce, neq; aliquid aliud huiusmodi; similiter autem his, & calor, & frigus passibiles qualitates dicuntur, nō quod ea, quæ illas suscipiunt, aliquid passa sint; sed quoniam secum dū sensus vnaquæq; dictarum qualitatū passionis effectiua est, passibiles qualitates dicuntur. dulcedo enim passionem quandā secundum gustum efficit, & calor secundū tactum. Similiter autē & alię. Albedo autē, & nigredo, & ceteri colores nō eodē modo ijs, quę dicta sunt, passibiles qualitates dicuntur, sed eo quod ipsę ab aliqua passione in nascuntur. Quoniā. n. fiunt propter aliquā passionem multæ colorum mutationes, manifestum est: erubescens enim aliquis, rubeus factus est: & timens, pallidus: & unumquodq; taliū. quare etiam si quis natura aliquid taliū accidentiū, perturbationūue passus est; similem colorem uerisimile est eum habere. Quæ enim affectio nunc in eo quod uerecūdetur, circa corpus facta est; etiam secundum naturalem consti-

ARISTOTELIS

constitutionem eadem fiet affectio, ut
 & naturalis color similis sit: quęcunq;
 igitur talium accidentium ab aliqui-
 bus passionibus difficile mobilibus,
 & permanentibus principium sum-
 pserunt: passibiles qualitates dicun-
 tur: siue enim secundum naturalem
 constitutionem pallor fit, aut nigre-
 do: qualitates dicuntur (quales enim
 secundum eas dicimur) siue propter
 ægritudinem longam, uel propter æ-
 stum aliquid tale contingit, uel nigre-
 do, uel pallor, & non facile prætere-
 unt, uel etiam in uita permanent, &
 passibiles qualitates istę dicuntur: si-
 militer enim quales secundum eas di-
 cimus. Quęcunq; uero ex ijs, quę fa-
 cile soluuntur, & cito transeuntes, fi-
 unt; passionibus dicuntur; qualitates
 uero minime: non enim aliqui secun-
 dum ipsas dicuntur quales: neq; enim,
 qui propter uerecundiam rubeus fa-
 ctus est, rubeus dicitur: neq; cui pal-
 lor propter timorem uenit, pallidus
 est, sed magis eo quod aliquid passus
 est:

est: quare passiones quidem huiusmodi dicuntur, qualitates uerò minime. Similiter autem his, & secundum animam passibiles qualitates, & passiones dicuntur: quæcunq; enim mox in nascendo ab aliquibus passionibus difficulter mobilibus fiunt, qualitates dicuntur & ipsæ; ut amentia, mentis alienatio, & ira, & alia huiusmodi: quales enim secundum eas dicuntur, id est, iracundi, atq; amētes. Similiter autem & quæcunq; alienationes non naturales: sed, quæ ab aliquibus alijs accidentibus factæ sunt difficile prætereunt, & omnino immobiles; qualitates sunt etiam huiusmodi: quales enim & secundum eas dicuntur. Quæcunq; uero ab ijs, quæ facile, & cito prætereunt, fiunt; passiones dicuntur: ut si quis contristatus, iracundior fiat. Non enim dicitur iracundus, qui huiusmodi passione iracundior est; sed magis quia aliquid passus: quare passiones quidem huiusmodi dicuntur, qualitates uero minime. Quartum uero

ARISTOTELIS

uero genus qualitatis est figura, & cir-
 ca unumquodq; cōstans forma. Am-
 plius autem ad hæc rectitudo, & cur-
 uitas, & si quid aliud his simile est: se-
 cundum enim unumquodq; eorum
 quale quid dicitur. Triangulum e-
 nim, uel quadrangulum esse, quale
 quid dicitur, & rectum, aut curuum,
 & secundum etiam formam unum-
 quodq; quale dicitur. Rarum uero, et
 spissum, & asperum, & leue putabun-
 tur quidē quale quid significare: sed
 aliena huiusmodi putantur esse à diui-
 sione, quæ circa qualitatem est: quan-
 dam enim positionem magis uiden-
 tur partiū vtrunq; mōstrare. Spissum
 enim dicitur, eo quod partes sibi ipsis
 propinquæ sint: rarum uero eo quod
 distent à se inuicem: & leue quidem,
 quod in rectitudinē aliquo modo par-
 tes iaceant: asperū uero quod hæc qui-
 dē superet, illa uero sit inferior. Et for-
 tasse alius quicumq; modus apparue-
 rit qualitatis, sed fere qui maxime di-
 cuntur, hi sunt: qualitates itaq; sunt,
 quæ

quæ dicte sunt, Qualia uero sunt, quæ
secundum has denominatiue dicun-
tur, uel quomodolibet aliter ab his, In
plurimis siquidem, & fere in omnib.,
denominatiue dicuntur: ut à candore
candidus, & à grammatica grammati-
cus, & à iustitia iustus. Similiter & in
alijs. In aliquibus uero, eo quod non
sunt posita qualitati nomina, nō con-
tingit ea, quæ dicuntur, ab ijs denomi-
natiue dici: ut cursor, aut pugillator,
qui secundum naturalem dicitur po-
tentiam, à nulla qualitate denomina-
tiue dicitur: nō. n. posita sunt nomina
potentijs, secundum quas isti quales
dicuntur, sicuti disciplinjs, secundum
quas pugiles, uel palæstrici secundum
dispositionem dicuntur. Pugillatoria
enim, & palæstrica disciplina dicitur:
quales uero ab his denominatiue di-
cuntur, qui disponuntur. Aliquando
autem & posito nomine non dicitur
denominatiue, quod secundum eam
quale dicitur, ut à uirtute studio-
sus: eo enim quod uirtutem habeat,
studio

studiosus dicitur; sed non denominatiue à uirtute. Non autem in pluribus hoc tale est. Qualia ergo dicuntur, quæ denominatiue à dictis qualitatibus dicuntur, aut aliquo modo aliter ab eis. Inest autem & contrarietas secundum qualitatem: ut iustitiæ iniustitia contraria est, & albedo nigredini, & alia. Similiter autem & ea, quæ secundum eas qualia dicuntur: ut iniustum iusto, & album nigro. Non in omnibus autem hoc est: rubro enim, & pallido, aut huiusmodi coloribus, nihil est contrarium earum, quæ qualitates sunt. Amplius: Si contrarium alterum fuerit qualitas, & reliquum erit qualitas: hoc palam est proponenti ex singulis alia prædicamenta. Nam si est iustitia iustitiæ contrarium, qualitas autem est iustitia; qualitas igitur & in iustitia: nullum enim aliorum prædicamentorum aptabitur iustitiæ, neque ad Aliquid, neque Vbi, nec omnino ad aliquid huiusmodi, nisi quale. Sic autem & in alijs, quæ secundum quales sunt
 contra=

contraria. Suscipiunt autem qualia magis & minus. Album enim magis & minus album altero albo dicitur, & iustum alterum altero magis uel minus. Sed & ipsa clementum suscipiunt: cum candidum nanq; sit, contingit amplius candidum fieri; non tamen omnia, sed plura. Iustitia nanq;, si dicatur magis & minus iustitia, potest quilibet ambigere; similiter autem & in alijs dispositionibus. Quidam enim dubitant de talibus; iustitiam nanq; iustitia non multum aiunt magis & minus dici, nec sanitatem sanitate: minus autem habere alterum altero sanitatem aiunt, & iustitiam alterum minus altero habere dicitur: sic autem & grammaticam, & alias dispositiones: quare ea, quæ secundum eas dicuntur, † indubitanter recipiunt magis & minus: grammaticior enim alter altero dicitur: & iustior, & sanior: sic autem & in alijs. Triangulum uero, & quadrangulum non uidentur magis & minus suscipere, neque aliqua

† Al. addūt
qualia.

A
B

D

aliqua

ARISTOTELIS

aliqua aliarum figurarum: quæ enim definitionem trianguli recipiunt, & circuli; omnia similiter trianguli, uel circuli sunt: eorum autem, quæ non recipiunt rationem ipsam; nihil magis alterũ altero dicetur: nihil enim quadratum magis, quàm parte altera longius, circulus est: neq; alterum enim recipit circuli rationem. Simpliciter autem si utraq; non recipiunt propositioni rationem, nõ dicetur alterum altero magis: non ergo omnia qualia recipiunt magis & minus. Horum itaque, quæ prædicta sunt, nihil est propriũ qualitatis. Similia uero, & dissimilia secundum solas dicuntur qualitates. Simile, n. & dissimile alterum alteri non est secundum aliud, nisi secundum id, quod quale est. Quare proprium est qualitatis secundum eam simile, uel dissimile dici. At uero non decet conturbari, ne quis nos dicat de qualitate propositionem facientes, multa eorum, quæ sunt ad aliquid, interposuisse. Habitus, n. & dispositiões eorum,

eorum, quæ ad aliquid sunt, esse dice-
 bamus. Pene enim in omnib. talibus *
 genera ad aliquid dicuntur, nihil autē
 eorum, quæ sunt singularia: nam cum
 disciplina genus sit, id ipsum quod est
 alterius dicitur: alicuius enim discipli-
 na, disciplina dicitur: eorum uero quæ
 singularia sunt, nihil ipsum quod est
 alterius dicitur, ut grammatica: nec
 musica, alicuius alterius musica, sed
 forte secundum genus, & hæ ad ali-
 quid dicuntur: ut grammatica alicuius
 dicitur disciplina, non alicuius gram-
 matica: & musica, alicuius disciplina,
 non alicuius musica, quapropter quæ
 singularia quidem sunt, non sunt ad
 aliquid. Dicimur autem quales secun-
 dum singulorum singula, hæc enim
 & habemus: scientes enim dicimur,
 eo quod habemus singularum scien-
 tiarum aliquas, quare hæ erunt etiam
 qualitates, quæ singulares sunt, secun-
 dum quas aliquando & quales dici-
 mur: hæ autem non sunt eorum, quæ
 sunt ad aliquid. Amplius. Si contingit

* Al. addit
 qualitatis.

D 2

idem

ARISTOTELIS

idē ipsum, & quale, & ad aliquid esse:
nihil est inconueniens in utrisq; hoc
generibus enumerari.

DE ACTIONE ET
PASSIONE.

CAPVT IX.

RECIPIT autem agere, & pati,
& contrarietatem, & magis, &
minus. Calefacere enim ei, quod est
frigefacere, contrarium est: & calefie-
ri ei, quod est frigefieri: & delectari
ei, quod est contristari: quare suscipi-
unt contrarietatem. Et magis, & mi-
nus: est enim calefacere & magis &
minus: & calefieri magis, & minus:
& tristari magis, & minus. Suscipiunt
igitur magis, & minus, agere, & pati:
& de his igitur hæc dicta sint.

Dictum est autē & de eo, quod est
Sicut esse, in ijs quæ sunt ad aliquid,
quod denominatiue à positionibus
dicitur. De reliquis uero, id est, Quā-
do, & Vbi, & habere, propterea quod
mani-

manifesta sunt, nihil de his aliud dicitur, quam quæ in principio dicta sunt: quod habere quidem significat calcematum esse, armatum esse; ubi uero, ut in Lycio, in foro: & alia quæcunq; de his dicta sunt. Igitur de omnibus generibus, quæ proposuimus, sufficiunt dicta.

D E O P P O S I T I S.

C A P V T X.

DE oppositis quoties solent opponi, dicendum est. Dicitur enim alterum alteri opponi quadrupliciter, aut ut ad aliquid: aut ut contraria: aut ut priuatio, & habitus: aut ut affirmatio, & negatio. Opponitur autem unumquodq; istorum (ut sit figuratim dicere,) tanquam ad aliquid quidem, ut duplum dimidio: tanquam contraria, ut malum bono: tanquam autem secundum priuationem, & habitum, ut cæcitas, & uisio: tanquam uero affirmatio, & negatio, ut sedet,

D 3 non

non sedet. Quæcunq; igitur ut ali-
 quid opponuntur; ea ipsa, quæ sunt,
 oppositorum dicuntur, aut quomo-
 dolibet aliter ad ipsa: ut duplum di-
 midij, hoc ipsum quod est, alterius
 dicitur: alicuius enim duplum dicitur.
 & disciplina disciplinato, tanquã
 ei, quod est ad aliquid, opponitur; &
 dicitur disciplina ipsum quod est, dis-
 ciplinati; & disciplinatum dicitur quod
 est oppositum ad disciplinam: disci-
 plinatum enim aliquo dicitur; scilicet
 disciplina disciplinatum. Quæcunq;
 ergo opposita sunt tanquam ad ali-
 quid, ea ipsa, quæ sunt, oppositorum,
 uel alio quolibet modo ad inuicẽ di-
 cuntur. Illa uero, quæ opponuntur ut
 contraria, ea ipsa quidem, quæ sunt,
 nullo modo ad se inuicem dicuntur;
 contraria uero sibi inuicem dicuntur.
 Neq; enim bonum, mali dicitur bo-
 num, sed contrarium: nec album ni-
 gri album, sed contrarium; quare dif-
 ferunt ab inuicem hæ oppositiones.

Quæcunq; uero contrariorum ta-
 lia

lia sunt, in quibus nata sunt fieri, & de quibus prædicantur; necessarium sit alterum ipsorum inesse; horum nihil est medium. Quorum uero non est necessarium alterum inesse, horum omnino est aliquid medium: ut ægritudo, & sanitas in corpore animalis nata sunt fieri, & necessarium est alterum ipsorum inesse animalis corporis, uel ægritudinem, uel sanitatē. Et par quidem & impar de numero prædicantur: necesse est horum alterum numero inesse, uel par, uel impar: & non est horum aliquod medium, neque ægritudinis & sanitatis, neque imparis, atque paris. Quorum autem non est necessarium alterum inesse, eorum est aliquod medium: ut nigrum, & album in corpore nata sunt fieri, & non est necessarium alterum eorum inesse corpori: non enim omne corpus uel album, uel nigrum est. Sed & prauum, & studiosum prædicantur quidem de homine, & de alijs compluribus. non est autem necessarium alterum

D 4

eorum

eorum inesse ijs, de quibus prædicantur: non enim omnia aut praua, aut studiosa sunt; sed est aliquid eorum medium, ut albi, & nigri fuscum, & pallidum, & quicunq; alij colores: prauum uero, & studiosum, quod neq; prauum, neq; studiosum est. In aliquibus igitur medijs posita sunt nomina: ut albi, & nigri fuscum, & pallidum; & quicunq; alij huiusmodi colores. In alijs quibus uero non est nomine facile medium assignare; utriusque uero extremorum negatione medium definitur: ut quod neque bonum, neque malum est, neq; iustum, neq; iniustum. Priuatio uero, & habitus dicuntur quidem circa idem aliquid: ut visio, & cæcitas circa oculum. Vniuersaliter autem dicere, est in quo natus est habitus fieri, circa hoc dicitur utrunque eorum fieri. Priuari uero tunc dicimus unumquodq; habitus susceptibilem, quando is, in quo natus est inesse, uel quando illud natum est habere, nullo modo insit. Edentulum enim

enim dicimus, non quod habet dentes: & cæcum, non quod non habet uisum; sed quod non habet, quando natum est habere. Aliqua enim ex necessitate neque dentes habent, neque uisum, sed non dicuntur edentula, neque cæca. Priuari uero, & habere habitum, non est priuatio, & habitus. Habitus enim uisus est, priuatio uero cæcitas. Habere autem uisum, non est uisus: nec cæcum esse, cæcitas. Priuatio enim quædam est cæcitas: cæcum uero esse se priuari, non priuatio est. Amplius: Si idem esset cæcitas, & cæcum esse, utraq; de eodem prædicarentur, sed cæcus quidem dicitur homo, cæcitas uero homo nullo modo dicitur. Opponi quidem etiam ista uidentur, priuari scilicet, & habere habitum, quæ admodum priuatio, & habitus: idem enim modus est oppositionis; nam sicut cæcitas uisui opponitur, sic cæcum esse, & uisum habere opponuntur. Non est autem neque hoc, quod sub affirmatione, & negatione est, affir-

D 5 matio,

† Addunt
alij, sed res

† Deest in
aliquibus
cod. neque
uisus cæci-
tatis.

matio, & negatio: affirmatio nanque oratio affirmatiua est, & negatio, oratio negatiua: quod uero sub affirmatione, & negatione est, nulla est oratio. † Dicuntur autem etiam hæc esse opposita ad inuicem tanquam affirmatio, & negatio: nã & in his modus oppositionis idem est. Sicut .n. affirmatio ad negationem opponitur (ut quod sedet, ei quod non sedet) sic & res quæ sub utroq; est, opponitur; scilicet sedere aliquẽ, ad nō sedere. Quoniam autẽ priuatio, & habitus non opponuntur ut ad aliquid, manifestum est, non enim dicitur id ipsum quod est oppositorũ: uisus enim non est cecitatis uisus, nec ullo alio modo id ipsum dicitur. Similiter autẽ neq; cecitas uisionis cecitas dicitur; sed priuatio quidẽ uisionis dicitur; cecitas uero uisionis non dicitur, † neq; uisus cæcitatatis. Amplius: ad aliquid omnia ad conuertentiã dicuntur: quare si cæcitas eorũ, quæ ad aliquid sunt, esset; utiq; & conuerteretur ad illud ad quod dicitur: sed

sed non cōuertitur: non. n. dicitur uisus, cæcitat̄is uisus. Quoniam autem, neq̄ ut contraria opponuntur, quæ secundum priuationē et habitum dicuntur; ex his manifestum est: contrariorum enim, quorum nihil est medium, necesse est in quib. fieri nata sunt, aut de quibus prædicari, alterum ipsorum inest semper. Eorum enim nihil medium erat, quorum alterum inesse susceptibili necessarium erat, ut in languore, & sanitate, & impari atq̄ pari. Quorum uero aliquid medium est, nunquam necesse est omni susceptibili inesse alterum: neq̄ enim necesse est omne susceptibile uel candidum, uel nigrum esse; neq̄ frigidum uel calidum. Horum. n. mediū aliquid nihil esse prohibet: insuper autē & eorum erat aliquid medium, quorū alterum inesse susceptibili non necessarium erat, præter illa quib. unum inest naturaliter, ut igni calidum esse, & niui candidum. In his enim determinate necessarium alterum est inesse, & nō alterutrum

utrum contingit: non enim possibile est, ignem frigidum esse: neque niuem nigram: quare omni quidem susceptibili non necessarium est alterum ipsorum inesse, sed solis, quibus natura unum inest, & his determinate unum, non alterutrum contingit. In privatione autem, & habitu, neutrum eorum, quæ dicta sunt verum est: non enim semper alterum eorum inesse susceptibili necessarium est: quod enim nondum natum est habere visum, neque cæcum, neque ipsum habens dicitur: quare non erunt hæc, ut ea contraria, quorum nihil est medium, sed neque ut ea, quorum aliquid est medium: necessarium enim est aliquando omni susceptibili alterum eorum inesse: quando enim iam ad habendam visionem natum fuerit, tunc aut cæcum, aut habens visum dicetur. Et eorum non determinate alterum, sed alterutrum contingit: † non enim necessarium est vel cæcum, vel visum habens esse; sed utrumvis contingit. In

† Leg. al. non enim necessario vel cæcum vel visum habens dicitur determinate. sed utrumvis, &c.

In contrarijs autem, quorum aliquid medium est, nunquam necessarium erit omni susceptibili alterum inesse; sed quibusdam; & his, determinate vnum, * & non utrumuis contingit. Vnde palam est, quod secundum neutrum modorum † tanquam contraria opponuntur ea, quæ secundum priuationem, & habitum opponuntur. Amplius: In contrarijs quidem cum sit susceptibile, adinuicem mutatione fieri possibile est, nisi alicui unum natura inest, ut igni calidum: * etenim sanum possibile est languere; & candidum nigrum fieri; & calidum frigidum; & ex studioso prauum; & ex prauo studiosum fieri possibile est: prauus enim ad meliores exercitationes deductus, & doctrinas, etsi ad modicum aliquid proficiat, ut melior sit: si certe semel, quanuis modicum, incrementum sumpserit, palam est quia aut perfecte mutabitur, aut satis multum incrementum sumet: semper enim bene mobilior ad uirtutem fit, etiam quodcunq;

* Hæc in aliquibus codic. vacat.

† Addunt alij. & niui album.

cunq̄ incrementum sumpserit à principi-
 pio: quare etiam uerisimile est, pleni-
 us eum sumere incrementum: & hoc
 dum semper fit, perfecte in contrariū
 habitum restituetur, nisi forte tempo-
 re prohibeatur. Verum in priuatione,
 & habitu impossibile est adinuicem
 mutationem fieri: ex habitu enim in
 priuationem mutatio fit: à priuatione
 uero in habitum impossibile est: neq̄
 enim cæcus factus aliquis rursus ui-
 dit: neq̄ cum caluus fuerit, rursus co-
 matus factus est: neq̄ cum fuerit edē-
 tulus, dentes ei iterum orti sunt. Que-
 cunq̄ uero tanquam affirmatio, & ne-
 gatio opponuntur, palam est, quia nul-
 lo prædictorum modo opponuntur:
 in solis enim his necessarium est sem-
 per, hoc quidem eorum uerum, illud
 autem falsum esse. Neq̄ enim in con-
 trarijs, necessarium est semper alterū
 uerum esse, alterum autem falsum, ne-
 que in ijs, quæ ad aliquid sunt: neq̄ in
 habitu & priuatione: ut sanitas, & lan-
 guor contraria sunt, & neutrum neq̄
 uerum,

uerum, neq; falsum est. Similiter autem & duplum, & dimidium tanquam ad aliquid opposita sunt: & non est eorum neutrum, neq; uerum, neq; falsum, sed neq; ea secundum priuationem, & habitum dicuntur, sicut uisio, & cæcitas. Omnino autem eorum, quæ secundum nullam dicuntur complexione, nihil neq; uerum, neq; falsum est: omnia autem, quæ dicta sunt, sine complexione dicuntur. Veruntamen maxime tale hoc contingere uidebitur in ijs, quæ secundum complexionem contraria dicuntur. Sanum nanq; esse Socratem, ad languere Socratem contrarium est. Sed neq; in his necessariū semper alterum uerum esse, & alterū falsum: cum enim Socrates sit; aliud quidem uerum, aliud autem falsum erit: cum uero nō sit; ambo falsa sunt, neq; enim languere, neq; sanum esse uerum est, cum ipse non sit omnino Socrates. In priuatione uero, & habitu, cū non sit omnino, neutrum uerū est, cum autem sit, non semper alterū quidem

dem

ARISTOTELIS

dem uerum erit, alterum autē falsum: habere nanque uisum Socratem, ei, quod est cæcum esse Socratem, opponitur, sicut priuatio & habitus, & cū sit, non necessarium est alterum uerum esse, uel falsum. cum enim nondum sit natus habere, utraque falsa sunt, & cum non sit omnino Socrates, similiter quoque falsa sunt utraq; & uisum eum habere, & cæcum eum esse. In affirmatione uero, & negatione, semper siue sit, siue non sit, hoc quidem falsum erit, illud autem uerum. Languere nanque Socratem, & non languere Socratem, cum ipse sit, palam est quoniam alterum eorum uerum, alterum uero falsum est: & cum non sit, similiter. Languere etenim cum non sit, falsum est: non languere autem, uerum. Quare in his solis proprium erit semper alterum eorum uerum, alterum falsum esse, quecunq; tanquam affirmatio, & negatio opponuntur. Contrarium autem bono quidem ex necessitate malum est:

est:

est: hoc autem per singulorum indu-
ctionem palam est: sanitati languor,
& iustitiæ iniustitia, & fortitudini timi-
ditas: similiter autem & in alijs.
Malo autem aliquando quidem bo-
num est contrarium: aliquando ma-
lum. Defectui enim (cum malum sit)
superabundantia contraria est, cum
sit etiam ipsa malum. Similiter autem
& mediocritas cum utriusque contraria
sit, bonum est. Sed in paucis quis tale
hoc aspiciet, in pluribus uero semper
malo bonum contrarium est. Ampli-
us: Contrariorum non necessarium
est si alterum sit, & reliquum esse. Sa-
nis namque omnibus, sanitas quidem e-
rit: languor uero non. Similiter au-
tem albis omnibus, albedo quidem
erit, nigredo uero non. Amplius: Si
ei quod est Socratem sanum esse, So-
cratem languere contrarium est; non
contingit, simul utraque eidem inesse:
non utique continget cum alterum con-
trariorum sit, & reliquum esse: cum
E enim

ARISTOTELIS

enim sit Socratem sanum esse, languere Socratem non erit.

Palam uero est, quia circa idem aut specie, aut genere nata sunt fieri. Languor nanque & sanitas in corpore animalis nata sunt fieri: albedo autem, & nigredo, simpliciter in corpore: iustitia uero, & iniustitia, in anima hominis. Necessarium autem est omnia contraria uel in eodem genere esse, uel in contrarijs generibus, uel ipsa genera esse: album enim, & nigrum in eodem genere sunt: color enim eorum genus est: iustitia uero, & iniustitia in contrarijs generibus: illius namque uirtus genus est, huius autem uitium: bonum uero, & malum non in genere sunt, sed ipsa sunt genera aliquorum existentia.

DE

D E M O D I S P R I O R I S .

C A P V T X I .

PRIVS autem alterum altero dicitur quadrupliciter. Primo quidem, & maxime proprie secundum tempus, secundum quod scilicet antiquius alterum altero, & uetustius dicitur. In eo enim quod tempus amplius est, & antiquius, & uetustius dicitur. Secundo autem, quod non conuertitur secundum subsistendi consequentiam; ut unum duobus prius est: duob. enim existentibus: mox unum esse consequens est; uno uero existente, duo esse non necessarium est: quare non conuertitur ab uno consequentia, ut reliquum sit. Prius autem illud esse uidetur, à quo non conuertitur eius quod est esse consequentia. Tertia uero secundum ordinem quendam prius dicitur, quem admodum & in disciplinis, & in orationibus: nam in demonstratiuis

E 2 discipli-

ARISTOTELIS

† Alij co-
dic. non ha-
bent in geo-
metria.

disciplinis est prius, & posterius or-
dine: elementa enim † in Geometria
priora sunt ordine ijs, quæ describun-
tur. Sed & in Grammatica, elementa
syllabis priora sunt: & in orationi-
bus similiter proœmium narratione
prius ordine est. Amplius, præter ea,
quæ dicta sunt, quod melius, & ho-
norabilius est, prius natura esse uide-
tur. Consueuerunt etiam multi ho-
norabiliore, & magis dilectos à se,
prioris apud se dicere. Est quidem &
pene alienissimus priorum hic mo-
dus. Modi igitur qui dicti sunt de
prioris, fere hi sunt. Videtur autem
præter eos, qui dicti sunt, alter esse
prioris modus. Eorum enim, quæ
conuertuntur secundum essentiæ
consequentiam; quod alteri quomo-
dolibet causa est, digne prius natura
dici possit: quoniam uero quædam
sunt huiusmodi, palam est. Esse nan-
que hominem, secundum essentiæ
consequentiam ad ueram de se con-
uertis

uertitur orationem. Nam, si homo est; uera est oratio, qua dicitur, quia homo est, & si uera est oratio, qua dicimus quod homo est; etiam conuertetur. Nam si uera est oratio, qua dicimus quod homo est; est homo. Et uera quidem oratio, nequaquam causa est, ut sit res; veruntamen res quodammodo causa uidetur, ut sit uera oratio: eo enim quod res est, aut non est, uera oratio, aut falsa dicitur. Quare secundum quinque modos, prius alterum altero dicatur.

D E M O D I S S I M V L.

C A P V T X I I.

SI M V L autem dicuntur simpliciter quidem, & propriissime, quorum generatio in eodem est tempore: neutrum enim eorum neque prius, neque posterius est. Simul itaque secundum tempus hæc dicuntur. Na-

E 3

tura

ARISTOTELIS

tura autem simul sunt, quæcunq; con-
uertuntur quidem secundum quod
est esse consequentiam, sed nequa-
quam alterum alteri causa est ut sit:
ut in duplo, & dimidio, conuertun-
tur etenim hæc: nam cum duplum
sit, dimidium est: & cum dimidium
sit, duplum est: sed neutrum alteri
causa est, ut sit. Dicuntur autem si-
mul natura, & quæ ex eodem genere
diuerso ab inuicem diuiduntur. Edi-
uerso autem diuidi ab inuicem dicun-
tur, quæ secundum eandem sunt di-
uisionem: ut uolatile, gressibile, &
aquatile. Hæc enim ab inuicem edi-
uerso diuiduntur, quæ ex eodem ge-
nere sunt. Animal nanque diuiditur
in hæc, uolatile, gressibile, & aquati-
le: & nihil horum prius, uel poste-
rius est, sed simul hæc natura esse ui-
dentur. Diuiditur autem & singu-
lum horum in species rursus: ut uo-
latile animal, aliud gressibile, aliud
aquatile. Erunt ergo & illa simul
natura

natura, quæcunque ex eodem genere secundum eandem sunt diuisionem. Genera uero speciebus semper priora sunt, neque enim conuertuntur secundum eius quod est esse consequentiam, ut cum quidem aquatile sit, animal est: cum uero sit animal, non necesse est ut aquatile sit. Simul ergo natura dicuntur, quæcunque quidem conuertuntur secundum eius quod est esse consequentiam, sed nequaquam alterum alteri ut sit, causa est, & ea, quæ ex eodem genere è diuerso diuiduntur abinuicem, & simpliciter simul sunt, quorum generatio in eodem est tempore.

E 4 DE

ARISTOTELIS
DE SPECIEBUS
MOTVS.

CAPVT XIII.

MOTVS autem species sunt sex:
generatio, corruptio, augmen-
tum, diminutio, alteratio, secundum
locum mutatio. Alij itaq; motus pas-
sam est, quia abinuicem diuersi sunt:
non enim est generatio, corruptio,
neque augmentum, diminutio, ne-
que secundum locum mutatio, simi-
liter autem & alij. In alteratione uero
habet quandam dubitationem, ne sit
forte necessarium id, quod alteratur,
per aliquam reliquarum motionum
alterari. Hoc autem non uerum est.
nam secundum omnes pene passio-
nes, aut complures accidit nos alte-
rari, nulla aliarum communicante
motionum: nam neque augeri neces-
sarium est, quod per passionem mo-
uetur; neque diminui: similiter au-
tem

tem & in alijs. Quare alia præter alios motus erit alteratio: nam si esset eadem; oporteret id, quod alteratur, mox & augeri, uel minui, uel quandam aliarum motionum sequi: sed non necesse est. Similiter autem & quod augetur, aut alia aliqua mutatione mouetur, alterari oporteret: sed sunt quædam, quæ augmentantur, quæ non alterantur: ut quadratum gnomone circumposito creuit quidem: alteratum uero nihil factum est. Sic & in alijs huiusmodi: quare alij motus sunt abinuicem. Est autem simpliciter motui quidem quies contrarium: ijs uero, quæ per singula sunt, & singula: generationi quidem corruptio, augmentato uero diminutio, secundum locum mutationi, secundum locum quies maxime uideatur oppositum esse, & forte in contrarium loci mutatio: ut ei, quæ inferius est, ea quæ superius est: & ei, quæ superius est, ea quæ inferius est. Reli-

E 5

quo

quo uero assignatorum motuum, non facile est assignare quid forte est contrarium. Videtur autem nihil esse ei contrarium, nisi quis & in hoc secundum qualitatem quietem opponat, aut in contrarium qualitatis, mutationem: sicut & in mutatione secundum locum, quietem secundum locum, aut in contrarium locum mutationem. Est enim & alteratio mutatio secundum qualitatem; quapropter opponitur mutationi secundum qualitatem, quies secundum qualitatem, aut in contrarium qualitatis mutatio: ut album fieri ad id, quod nigrum est fieri.

Alteratur enim in contraria, qualitatis mutatione facta.

DE

DE MODIS HABERE.

CAPVT. XIII.

HABERE secundum plures modos dicitur. Aut enim ut secundum habitum, & dispositionem, aut aliam aliquam qualitatem: dicimur enim disciplinam aliquam, atq; uirtutem habere. Aut ut quantitatem, quod ei, qui magnitudinem habet, contingit: dicitur enim tricubitam habere magnitudinem, uel quadricubitam. Aut ea, quæ circa corpus sunt, ut uestimentum, uel tunicam: aut ut in parte, ut in manu anulum. Aut ut partem, ut pedem, uel manum. Aut ut in uase, ut modius grana tritici, aut lagena uinum. uinum enim habere lagena dicitur, & modius grana tritici. Hæc enim omnia habere dicuntur: ut in uase. Aut ut possessionem, habere enim domum, & agrum dicimus. Dicitur etiam & uir uxorem habere:
& UXOR

& uxor uirum. Sed qui nunc dictus est modus, alienissimus est eius, quod est habere: nihil enim aliud uxorem habere significamus, quam quod cohabitant. Fortè tamen & alij quidam, eius quod est habere, apparebunt modi; sed qui dici consueuerunt, penè omnes numerati sunt.

CATEGORIARVM
Aristotelis, Finis.

L I P S I Æ

Iohannes Rhamba excudebat.

M. D. L X I X.




is
od
m
Da
n,




Pa 456

(X 227 3342)

TA 70L





DIALECTICORVM OMNIVM
PRINCIPIIS
ARISTOTELIS
CATEGORIAE,

SEVERINO BOETHIO IN-
TERPRETE.

ADDITA ILLIS EST PRÆFATIO,
in qua non modo huius partis mate-
ria, sed totius etiam Dialectices
progressus & natura si-
gnificatur,

Autore
SIMONE SIMONIO
Doct. Med. & Philosophiæ,
eiusdemq; in Academia
Lipsensi Pro-
fessore.

L I P S I Æ
A N N O
M. D. L X I X.

Be
2041

